

www.e-rara.ch

De iustificatione, quae fit per fidem, sacrae syzētēseōs capita

Grynaeus, Johann Jakob

Apud inclytam Germaniae Basileam, 1583

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8578>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE IUSTIFICATIONE,
 QVAE FIT PER FIDEM, SACRAE
 Συζητησεως Capita, proposita à Iohanne la-
 cobo Grynæo, S. Theologiæ Professore,
 & Theologici Ordinis Decano, de qui-
 bus, *συνήθη*, pridie Cal. Nouembr. in
 Scholis Theologorum
 respondebit,

MARCUS BEVMLERVS,
 HELVETIVS,

AD

*Nobilem Iuuenem, MICHAELEM AB
 HAGEN, Neomarchicum, eximijs ingenij et
 virtutū ornamentis florentem.*

Rom. II. 6.

Quòd si per gratiam celesti et per consequēs, uocati et
 iustificati sumus. Iam non ex operibus, alioquin gratia iam
 non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia,
 alioquin opus iam non est opus.



Typis Leonardi Ostenij. Apud inclytam Germaniæ
 Basileam. 1583.

31 octob.



VERE NOBILI IUVENI, DN. MI
CHAEI AB HAGEN,
S. P. D.

Ambrosius Episcopus Mediolanensis, enarrans hæc Pauli Apostoli verba: iustificati gratis per ipsius gratiam: grauissime & disertè ait: iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, SOLA FIDE iustificati sunt dono Dei. Et in expositione cap. 4. Epistolæ ad Romanos, exponens hæc verba: Crediti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam. Hoc dicit, quia sine Operibus legis credenti impio (id est, gentili) in Christum, reputatur fides eius ad iusticiam, sicut Abraham. Quomodo ergo Iudei per Opera legis iustificari se putant iustificatione Abraham, quum videant Abraham non ex operibus legis, sed SOLA FIDE iustificatum? Non ergo opus est lex, quando impius per SOLAM FIDEM iustificatur apud Deum. Secundum propositum gratiæ Dei) Sic decretum dicit à Deo, ut cessante lege, SOLAM FIDEM gratiæ Dei posceret ad salutem. Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iusticiam sine Operibus) Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore & aliqua obseruatione, SOLA FIDE iustificentur apud Deum.

Quum vel ab vno Ambrosio toties usurpata sit, Exclusiua particula SOLA, in propositionibus de gratuita Iustificatione: quis sanus & rerum istarum intelligens, non uideat, Iesuitas, quando eam cauillationibus & vitiligationibus suis exagitant, non nostris tantum Ecclesijs, sed etiam probato veteris Ecclesiæ Doctore, atrocem facere iniuriam?

Tuo autem nomini, Opt. & nobilissime, Domine Michael ab Hagen, sacrorum *historiarum* de iustificatione Capita, inscribere visum est, non eam solum ob causam quod stemmatum, ingenij & moderationis in dictis & tota vita, ergo, mihi optatissimus *impugnatus* es: sed etiam quia cum doctrinæ Civilis laudabili studio, constanter & eleganter virtutum nobili hominæ dignarum exercitia, coniungis. Dominus Iesus tibi det, ut per omnem vitam in fide virtutem probes, & florentis virtutis priuilegio. gaudeas.

Basileæ, die natali magni illius I. & Matth. Vuessembecij, Antuerpiensis, qui incidit in 25. Octob.

An. æræ Christ. 1531.

IOH. IACOBVS GRYNÆVS.

DE IUSTIFICATIONE

I.



Quum in Confessione fidei illustrissimo-
rū Principū & Rerump. quę & à Philip-
po Melāchthone piē cōscripta, & Caro-
lo V. Augusto, Imperatori Romano, cæ-
rerisq; sacri Imperij Ordinibus, in Comitijis Augu-
stianis, Anno Epochę Christianę 1530. exhibita est:
inter alia sanę doctrinę Capita, orthodoxa de Fidei
Iustificatione sententia: planē consentiens cum ora-
culo diuino: Colligimus fide iustificari hominē, abs-
que operibus legis, Rom. 3. 28. piē esset exposita: ibi
tūm Eccius, Faber & Cochlaus, cæteriꝑ Pontificij
ἐπεὶ οὐδ' ἀποκαλοῖ, testati sunt, se reiicere & improbāre
hoc quōd nostri dicerent, quōd non mereantur ho-
minēs remissionem peccatorum: sed sola iustificen-
tur fide.

II.

Opposuit autem Philippus Melāchthon Antago-
nistiis terribilem hanc Demonstrationis, veluti Gor-
gonem. *Quid est certius in Ecclesia, quā quōd remissio
peccatorum contingat grātis, propter Christum? quōd Chri-
stus sit propitiatio pro peccatis, non nostra opera? Sicut Pe-
trus inquit: Haic etiam omnes Propheta testimonium per-
hibent, remissionem peccatorum accepturum per nomē eius
omnem qui crediderit in eum, Act. 10. 43. Huic Ecclesie Pro-
phetarū assentiāmur potius, quā istis perditis Scriptori-
bus Confutationis, qui tam impudētē blasphemant Chri-
stum. In Apologia Confess. August.*

III.

Demonstratio de iustificatione, è Paulina Dispu-
tatione petita, ducitur à διαφέσει ἀμείσῳ.

A

2

Aut

Aut iustificamur sola fide, gratis, aliena iusticia, seu propter Christum, ad laudem iusticie & gratie Dei: aut propria iusticia iustificamur, nostrisq; operibus remissionem peccatorum & vitam æternam promeremur: ad gloriam nostram.

Atqui sola fide, gratis, Christi iusticia nobis imputata, ad gloriam iusticie & gratie Dei, iustificamur: ut summa *παρανομία* & consensu Prophetæ & Apostoli, testantur: & experientia vniuersalis omnium saluandorum, ostendit.

Quare non iustificantur vlli homines propria iusticia, seu ex operibus iustis, quæ nulla facere potest, homo inquam *ψυχικός*, ut Scripturæ sanctæ subscribens, vniuersalis experientia eorum, qui pereunt, & *ἀναπολόγητοι* sunt, evincit. Rom. 1. 2. 3. Tit. 3 5.

III.

Et si autem inuenta Demonstratione piæ Mentis. dubitatione exclusa, manifestæ veritati assentiri decet: ut tamen sacris ingeniosæ luventutis studiis, consulamus, propositum nobis est demonstrare, & *ὁρθόδοξον*, nostrarum Ecclesiarum de gratuita iustificatione, sententiam, nobis toto pectore amplectendam & retinendam: & *ἑτερόδοξον* ac hæreticam Pontificiorum opinionem, nostræ è diametro repugnantem, maximis de causis improbandam nobis esse & fugiendam. Quum autem Veritatis comites sint sapientia & constantia, ut scitè Augustinus dixit, oramus Deum, qui solus veritatis doctor est: ut Spiritu sancto suo, nos totos per veritatem sanctificet: ut sit felix nostra *φιλανθρωπία* & perpetua, Amen.

V.

Orthodoxam esse nostrarum Ecclesiarum de iustificatione hominis doctrinam, ac proinde summo studio

diō amplectendam & profitemendam, argumento certissimo sunt, primū quidem eius ἡ νῆστος ἀληθία: deinde verò, Demonstratio firmissima.

Est autem fons istius sententiæ & prima veritas, Deus, propter seipsum, eadem prorsus ratione, eos, quibus dedit vt in Christum credāt, iustificat: ad declarandum iusticiam, & gratiam suam. Iuxta hæc dicta.

Propter me, propter me faciā: nā quomodo profanaretur illud? & gloriam meam alteri non dabo, Isa. 48. II.

Propter nomen meum differam furorem meum, &c. I. Isa. 48. 9.

Non propter vos facio, domus Israel: sed propter nomen meum sanctum, Ezech. 36. 22.

Qui predestinauit nos quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, IN SE SE propositū beneuolū affectu voluntatis suæ. Ad laudē gloriose gratiæ suæ, qua gratos nos reddidit, in illo dilecto, Eph. 1. 5. 6.

Qui seruauit nos, & vocauit uocatione sancta: non ex operib. nostris, sed ex suo proposito & gratia, &c. 2. Tim. 1. 9.

Quem proposuit Deus vt esset placamentum, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam iusticiā suam, per remissionem precedentium peccatorum, Rom. 3. 25.

VI.

Demonstratio verò, καὶ τὰ ὀνόματα ἡαῖ hęc est, vt multas alias nunc consultò pratermittamus.

Certissimum est eo modo iustificari omnes fideles, quo eorum pater Abraham olim est iustificatus à Iehouah: neq; enim diuersi sunt modi iustificationis, sed vnus & idem: sicut vnus est Deus qui iustificat circumcisos ex fide, & præputiatis per fidē, Roman. 3. 30. ac rectē dixit Ambrosius: Quia enim omnium vnus est Deus, vna ratione omnes iustificauit.

A 3 Abraham

Abraham autem non operibus, sed fide ad iusticiam imputata, iustificatus est. Rom. 4. Gen. 15.

Quare & nos fideles, & ob id illius filij, non nisi fide ad iusticiam imputata, iustificamur, Rom. 4. 23. 24.

VII.

Papistarum ἐπεροδιδασκαλίαν de Operum iustificatione, nobis improbandam esse, ut Mentes facile animaduertent, si eiusdem πατρὸς ὁδὸν, & Demonstrationem nostram ἀποκρινόμενοι, prudenter considerabunt.

Est autem multiformis quædam Empyza, eorum πατρὸς ὁδὸν, cuius summa huc redit: Ne destituatur Homo animalis omni gloriæ Dei (Rom. 3. 23.) danda illi opera est, ut aliquid adipiscatur secundum carnem, seu operibus suis. (Rom. 4. 1.) ac viribus liberi sui arbitrij, propriam iusticiam satagat constituere (Rom. 11. 3.) quæ in actu iustificationis, mutuas operas Dei iusticiæ & meritis Christi tradat: & hoc præstet, ut partem Christi, partim suis meritis, æternam consequatur vitam.

VIII.

Ἀποκρινόμενος autē Demonstrationis adamantino ariete, caducus ille paries Papisticae opinionis, steruendus est.

Si opinio Papistarum de Operum iustificatione, contumeliosa est in sacrosanctam Trinitatem, & pernitiosa omnibus ijs, qui eandem amplectuntur: Tum equidem detestanda & fugienda est pijs omnibus, qui de sua salute serio cogitant.

Vera sunt quæ antecedunt.

Vera igitur sunt & quæ ex ijs rectè colliguntur

Assumptum sic probamus. In sacrosanctam Trinitatem contumeliosa est, quia primum quidem Deo Patri

Patri laudem perfectæ tum iusticiæ tum misericordiæ
derogat, quæ & humanorū operū crepūdij ludictis
illi satisfieri: nec solā misericordiā eius iustificationis
περὶ ἡμετέρας causam esse, sed etiā operib. debitā cō-
pensationem, operanti exsoluendam esse, fingit: dein-
de, quia Filio Dei, verè dicenti: Torcular solus calcaui,
& de Populis non fuit quisquam metum, Isa. 63.3. im-
pudenter contradicens, vnici illius Sacerdotij & Sa-
crificij expiatorij, functionem, oblationem & appli-
cationem, tribuit Missaricis Sacrificulis; ac fingit e-
tiā Angelos & mortuos Homines, tāquam Media-
tos esse adorandos: deniq; Spiritui sancto, per vtri-
usq; Testamenti Ministros testati, Sola fide, propter
Christum, nos & remissionis peccatorum & iusticiæ
Christi participes factos, consequi, & ut peccata no-
stra nobis non imputentur, & ut iusticia Christi no-
bis imputetur, impudenter reclamari: & eius benefi-
cia obscurat, videlicet vocationis, adoptionis & iusti-
ficationis nostræ oblationem, regenerationem et
illuminationem, &c.

Pernitiosam autem eandem esse omnibus ijs, qui
illam amplectuntur, inde euidenter colligimus, quod
reuera à Christianismo ad Pharisaismum & Pelagia-
nismum opinio illa miseros homines traducit: quod
his illudit fucumq; facit, cum & peccatum peccans,
seu originis, ac eiusdē effecta carnis videlicet opera,
extenuat: & liberum in homine animalī arbitriū fin-
git, eiusq; vires amplificat hyperbolicè, tātumq; per-
nefarium sacrilegium gloriæ meritisq; Christi dero-
gat, quātum illi tribuit: deniq; ut *οὐκ ἔστιν* agamus,
quod facit ut à Christo excidant: qui certè solus
est sapientia, iusticia, sanctificatio &
redemptio, I. Cor. I. 30.

Tabella

Tabella, complectens Aphorismos Theologicos, de Iustificationis principijs, in Iuuentutis pie & eruditæ gratiam, confecta.

Iustificatio (quæ est Dei solius beneficiû, côstans re missione peccatorû & imputa tione iusti ciæ Christi: cuius gra tia Deo re conciliati, iusti habê tur, ad lau dê Dei, & hominum salutem) Causas ha bet tum	Exter nas vi deli cet	Princi pales	1. Solus Deus iustifi cat impium, Rom. 4. 5.
			2. Gratia seruamur, Eph. 2. 8.
		Efficien tes	3. Spiritus sanctus ob signat iustificatione, Eph. 1. 13.
			4. Euangelium (cuius figilla sunt Sacramenta) annun ciando offert iustificationem, Rom. 1. 16.
		Famul antes	5. Sola fides iusti ficat, Rom. 3. 28.
			6. Celebratur autem Dei iusti cia & misericordia, quando iustificat gratis, Rom. 3. 25.
		Finales	7. Iustificati autem liberantur à peccati culpa & pœna, & pacem habet erga Deum, Rom. 4. 6. 7. & 5. 1.
			8. Solius Christi merito iustificamur. Seu, Propter solum Christum iustificamur, Ro. 3. 25.
	Inter nas, ni mirû		Demonstratio. Propter eum iustificamur, qui tollit peccatû Mû di. Atqui Christus tollit peccatum Mundi, Ioan. 1. 29. Propter eum itaq; solum : non autem pro pter fidem, aut opera iustificamur.
			9. Iustificamur autê, quò & peccata no bis condonantur, & iusticia Christi nobis imputa tatur. Forma enim iustificationis est quò & mor tis secundæ causæ à nobis tolluntur: & vitæ æter næ principium confertur.
			Atqui vtrumq; fit quando iustificamur. Etenim pec cati culpa & pœna, videlicet mors secunda seu æ terna, remittitur: & iusticia Christi, quæ vitæ prin cipium nobis est, nobis imputatur.
			Manifestum itaq; est formalem iustificationis no stræ causam esse ablationem causæ mortis & miseriæ eius quod est causâ vitæ æternæ.

Appendix.

Qui sola fide Iustificatus est, is demû verè bonis operib; sanctificatione s. a. testatur.